

29
51

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA,

DE
SALVTARI ET NOXIO
CAMPHORAE
ET
CAMPHORATORVM VSV,

QVAM
AVXILIANTE NUMINE DIVINO,
PRÆSIDE

RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICO,
PRÆNOBILI, CONSVLTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO VIRO,
DN. D. HERMAN. PAVLO JVCH,
SACRI PALATHI CAESAREI COMITE, FACVLTATIS MEDICAE SENIORE, PA-
THOL. ATQVE PRAX. PROF. PVBL. ET ASSESSORE PRIMARIO, H. T. DECANO,
SERENISS. SAX. DVC. VINARIENSIS, ISENACENSIS ET GOTHANI CONSIL.
AVLICO ET ARCHIATRO, N. N. ACAD. CAESAR.

NAT. CVRIOS. COLLEGA,
PATRONO AC PROMOTORE SVO COLENDISSIMO,
INCLYTO MEDICORVM ORDINE IN PER-ANTIQA
HAC HIERANA GRATIOSE INDVLGENTE,

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN ARTE SALVTARI PRIVILEGIIS
ATQVE IMMVNITATIBVS
RITE ET SOLEMNITER ADIPISCENDIS,

PVBlicæ ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTET
AVCTOR ET RESPONDENS,
JO. PETR. LVDOV. MENSHEGEN,
Mogonur.

IN AVDITORIO MAIORI COLLEGH MAJORIS, HORIS CONSUVETIS.
DIE XVII. DECEMBRIS M DCC XXXVII.

ERFORDIÆ, Typis HERINGII, Acad. Typogr.

DISSERTATIO IN UNIVERSALIS MEDICINA

DE

SALVTARI ET NOXIO
CAMPHORAE

ET

CAMPHORATORVM VSV

AVTHOR

APRILII HERMANNI DIVINO

PRÆCEPTORIS

RECTORE UNIVERSITATIS MAGNIFICENTISSIMO

ACADEMIAE CAESARIS ET ELECTORIS PALATINIS

DN. O. HERMANNI PAVLO JACH

REGII PALATII CAESARIS COMITIS ELECTORIS MEDICAE SENIORIS

THEOLOGICI PRAECEPTORIS ET ABBATIS KEMNITZENSIS H. T. DECARDI

SENIORIS THEOLOGICI PRAECEPTORIS ET GOTTHARDI CONSILII

AVGUSTI ET PRAECEPTORIS M. A. ACAD. CAESARIS

ET ELECTORIS COLLEGIUM

PALATINUM AC THEOLOGICUM VNI. COLONIENSIS

INCLITO MEDICORVM ORDINE IN PER. ANTONIA

BAC HIERINA GRATIOSA INDVLGENTIA

PRO GRADU DOCTORIS

PERMISSO VBI ET QUAE SUI VTI PRIVILEGIIS

ACADEMIAE CAESARIS ET ELECTORIS

ACADEMIAE CAESARIS ET ELECTORIS

PALATINAE CAESARIS ET ELECTORIS

ACADEMIAE CAESARIS ET ELECTORIS

ACADEMIAE CAESARIS ET ELECTORIS

IO. PETR. LUDOV. MENSINGEN

IN AVDITORIO MAIORI COLLEGIUM MARIAE ACADEMIAE CAESARIS ET ELECTORIS

DE ANNO DECISIMAE AEG. XXVII

ACADEMIAE CAESARIS ET ELECTORIS

ACADEMIAE CAESARIS ET ELECTORIS

ACADEMIAE CAESARIS ET ELECTORIS

ACADEMIAE CAESARIS ET ELECTORIS



DISSERTATIONIS INAUGVRALIS MEDICÆ
DE
SALVTARI & NOXIO
CAMPHORAE
ET
CAMPHORATORVM VSV,
PROÆMIVM.



Edicam nostram, quam profite-
mur, artem, in primis suis initiis
non nisi paucissimarum herba-
rum, & quidem talium maxime,
quæ in alimentum hominum
cedebant, extitisse scientiam, vix ullum quem-
piam, sanæ rationis usu pollentem, illiusque
historiæ gnarum, negaturum esse confido:
Quamprimum enim sanitatis conservacioni
A qua-

qualemcunque impendere operam siveverunt mortales, statim omnino opus erat, ut salubria ab insalubribus studiose discernerent, hæcque evitare, illa vero cum fructu applicare cognoscerent, unde dein, cum ipsis etiam oleribus & fructibus vim quandam medicamentosam inesse observarent, paulatim quoque de regimine diætæ in morbis, tandemque de reliquorum vegetabilium usu serio cogitarunt, ac urgente necessitate fere quævis obvia tentare haud dubitarunt. Sic ergo ægrotantium pariter ac medentium multitudo successive remediorum copiam produxit, cumque tam Græci, quam Arabes, omnisque generis Barbari, idem fatum postmodum experti fuerint, eo minus utique hinc mirandum est, tot exoticis hodie, tot generosis & ignobilibus, tot utilibus ac inutilibus materiam medicam constare, postquam nempe litterati æque ac illitterati, a mundo condito ad hæc usque tempora, quicquid placuerit congefserunt, parum autem, vel plane non de genuinis commendatorum ac collectorum ejusmodi simplicium viribus & effectibus solliciti fuerunt.

Quan-

Quando enim saltem vegetabilium, è terræ gremio sponte provenientium, ingentem copiam, atque specificam, quæ cuivis a Divino Numine in hominum salutem indita esse videtur, efficaciam consideramus, omnino hanc ipsam nec a priori, per ipsum rationis lumen, nec a posteriori, per frequentiore, cautum atque attentum usum repetitamque experientiam, sufficienter ac perfecte hæctenus indagatam esse deprehendimus; ut etiam propterea mirum haud sit, cur plebeji non tantum ac rudes, verum etiam eruditi magnique nominis Medici, raro admodum in determinandis viribus, effectu & usu hujus aut illius medicamenti, in hoc aliove morbo conveniant, quin potius alii miris illud encomiis commendent, quod ab aliis in eodem morbo ceu noxium damnatur ac in totum rejicitur. Prorsus equidem negandum haud est, quod omnia fere medicamenta tam ad juvandum, quam ad nocendum sint apta, aut ita proprie comparata, ut quibusdam prosint, & aliis in eodem quoque morbo obsint, modo quasi venenum, modo etiam salutarem constituent panaceam;

A 2

ast,

ast, statim quoque adparet, quod potissimum
 diversæ adhibendi rationi tribuendum illud
 sit: *Quæ enim profuerunt*, ut recte monet
 covs noster, Lib. de arte §. 6. *ob rectum usum*
profuerunt; quæ vero nocuerunt, ob id, quod
non recte usurpata sunt, nocuerunt. Neuti-
 quam igitur omnis generis medicamentis ab-
 solute certa salutis adferendæ virtus adscriben-
 da est, sed certo saltem respectu & ob id po-
 tissimum eadem prodesse observamus, quoni-
 am cum iudicio debitisque sub cautelis, explo-
 rata nempe prius corporis agrotantis consti-
 tutione, morbique causâ & indole, nec non
 convenienti tempore, ordine, dosi ac propor-
 tione usurpata sunt. Hinc facile patet, quan-
 tum utilitatis ex vera simplicium cognitione,
 tam quoad principia constitutiva, quam abin-
 de dependentes vires atque effectus, in Thera-
 pia expectare liceat, dummodo illa cum ratio-
 nali veraque conjuncta sit pathologia; siqui-
 dem hoc modo etiam validiora & sic dicta
heroica remedia secure non solum adhiberi,
 sed & optati quoque effectus illorum ope sub-
 inde impetrari, immo perversa qualibet judi-
 cia,

cia, quibus alias eadem exposita sunt, optime evitari possunt.

Horum ergo ex censu cum imprimis etiam CAMPHORA simile jam dudum experta fuerit fatum, ut nempe, o' summe activam suam qualitatem, a compluribus Medicis in hunc usque diem in magno habeatur pretio ac honore, ab aliis vero tanquam infecurum, vel prorsus noxium remedium saepe proscribatur ac rejiciatur; non injuste utique me facturum arbitratus sum, si Speciminis inauguralis loco tam *salutarem*, quam *noxium* ejusdem & exinde paratorum medicamentorum usum, pro virum modulo, demonstrare allaborarem. Quod ut feliciter fiat, supremum ab ipso divino Numine praesidium devotissimis mihi exoro precibus.

§. I.

Q Vanquam primis illis temporibus, cum *Campbora* in Pharmacia inducta usibusque medicis destinata fuit, non statim vera ejus indoles, mixtio ac praeparatio exacte satis innotuerit, eaque propter Auctores isti, qui concretum illud exoticum, quoad maximam partem artificiale, exactius describere

re allaborarunt, in diversas, immo quandoque ridiculas abierint sententias, satisque diu proorsus dubii hæserint, quorsum illud proprie ratione substantiæ suæ referendum sit; sedula tamen ac laudabilis modernorum tam Physicorum, quam Medicorum industria in eo nunc certiores nos reddidit, & discussis pristinis obscuritatum falsorumque præjudiciorum nebulis, genuinam ejus essentiam demonstravit, pluribusque experimentis ita confirmavit, ut, nec cum AVERRHŒ amplius quisquam originem illius ex *alveo maris*, ad instar Ambræ, arcessat, nec cum CARDANO pro specie *Bituminis*, cum BACCIO pro *Bitumine pingui*, & cum RVCHSIO pro specie *Succini* reputet, aut etiam cum AGRICOLA & JONSTONO ex aliquo *Bituminis Indici* genere produci, vel cum BAVHINO ad *Ambræ, Succini & Asphalti* familiam pertinere credat.

II.

Denominationem, quam concretum istud in hunc usque diem retinuit, dubio procul patriæ suæ incolis debet, a quibus eandem primo Arabes, dein Græci, postmodum Latini, immo ipsi tandem Germani, mutasse, in proprias suas linguas transtulisse suisque dialectis diversimode expressisse videntur, ut hinc modo *Capur, Caphur*, item *Alcansor*, modo *καμφερα, Camphora, Kampfer*, vel *Campfer*, appellitur tam ordinarium, ex arbore camphorifera paratum hocce resinosum concretum, quod proprie officinale est, quam etiam reliqua omnia eidem analogæ, & quoad substantiam, odorem, colorem, &c. exactissime cum eodem convenientia producta, ex aliis plantis obtenta: Constat

stat enim per experientiam, quod non solum in Indiis, e radice arboris Cinnamomi, item e Zedoaria & Mentha Zeylanica, aliisque similibus iisdem in oris prognatis vegetabilibus, Schoenantho nimirum, Abrotano, Millefolio, Bellide, Cardamomo & Junipero, vera Camphora per artem proliciatur, sed & complures ex nostratibus balsamicis herbis, speciatim vero Rosmarinus, Salvia, Hyssopus, Lavendula, immo Horminum ipsum, Ageratum & Majorana, ejusmodi principia contineant, simileque concretum resinofum ac volatile largiri queant, prout hoc exemplo *Thymi nostri vulgaris* haud ita pridem monstravit Celeb. b. m. NEVMANNVS, utpote ex quo itidem Camphoram, ordinariæ quoad omnia simillimam, se obtinuisse retulit, methodumque simul explanavit in *Transact. philosoph. Anglican. Volum. XXXIII. Num. 389. pro mens. Jul. & Aug. 1725.*

§. III.

Est autem proprie CAMPHORA specialissimum quoddam mixtum salino-sulphureum, seu resinofum, inflammabile, summe volatile odorisque penetrantissimi, saporis acris, aromatici, substantiæ quadantenus compactæ, siccæ, albicantis & pellucidæ crystallinæ, ex ligno ramisque exoticæ cujusdam arboris singulari enchiresi extractum, variisque medicis usibus potissimum destinatum.

§. IV.

Ex hac nostra definitione statim elucescit, quod ad illorum nequaquam accedamus opiniones, qui Camphoram ratione essentiaæ suæ vel pro succo quodam gummoso, vel pro Gummi resina, vel pro sale volatili,

rili, vel etiam pro *oleo coagulato* venditant, quoniam ordinariæ ejusdem qualitates assertis hisce repugnant, eamque plane alius substantiæ esse aperte demonstrant: Si enim *gummosus* esset *succus*, tunc vel in totum, vel ad minimum quoad maximam sui partem in simplici aqua dissolvi eique intime commisceri deberet; si *gummi-resinam* constitueret, utique nec solius aquæ, nec menstrui cujusdam spirituosi ope plenaria ejus solutio obtineri posset; si non nisi ex *sale volatili* constaret, sive etiam illud simplex, sive, quorundam ad mentem, *oleosum* esset, pariter aliqua ad minimum ratione promptissimam solutionem cum aqua admitteret; si denique non nisi *oleum* quoddam *coagulatum* esset, quod exinde quidam inprimis concludere volunt, quoniam flammam facile concipit, cum remanentia fuliginis, omnemque commixtionem cum aqua, utpote cui saltem innatat, penitus respuereprehenditur, tunc consistentia ejus minime adeo diaphana, crystallina & sicca, sed magis pinguedinosa, seu butyracea esset, minimeque in aëre liberiori, quodantenus calido, in totum evaporaret aut avolaret, nec etiam sub destillatione, citra ullam remanentiam, super alembicum transfret, quin potius crassio rem, tenaciorem ac prorsus effoetam aliquam portionem post se relinqueret.

§. V.

Quod vero ad *resinosam indolem* propius accedat Camphora, ex sequentibus ejusdem qualitatibus inprimis concludere licebit, dum nempe consistentiam siccam exhibet, aliarum ad instar resinarum ardet, ignis-

ignisque ope colliquescit & in spiritu vini rectificatissimo plenarie dissolvitur, quæ sane phænomena omnibus aliis resinosis corporibus propria ac familiaria sunt, eoque ipso sufficienter demonstrant, Camphoram, etiamsi forte, ob reliquarum conditionum defectum, non absolute in resinarum classem referenda videatur, tamen specialissimum quoddam mixtum, seu concretum resinosum, constituere, cujus notæ characterificæ, si nondum adulteratum illud est, in eo consistunt, quod substantiæ pinguiusculæ, siccæ tamen simul & friabilis, summe albicantis, nitidæ, pellucidæ & velut crystallinæ sit, hujusque intuitu sal ammoniacum, aut mercurium dulcem referre videatur, odorem vero penetrantissimum ac subtilissimum, saporemque acriorem, levissime amaricantem & potissimum aromaticum, qui modo cum Pipere, modo cum Zedoaria, modo etiam cum Cubebis, aut Costo dulci, comparatur, exhibeat, & tandem si paulo diutius in manu detinetur, vel pani calenti includitur, vel etiam accenditur, in totum absumatur nullumque magma post se relinquat.

§. VI.

Ratione differentiæ Camphoræ, diversarumque ejus specierum, vix opus erit ut multa præmoneamus, cum abunde jam constet, quod, pro diverso collectionis & præparationis modo, alia *nativa*, alia *artificialis*, seu *factitia* sit, quarum illa in minorum granulorum forma ex arborum certarum truncis sponte aliquando transsudare dicitur, communissime vero ex earum ligno sisso eximitur ac colligitur, & quidem in

B

Insu.

In *Insulis Bornco & Sumatra* potissimum, prout id ipsum pluribus referunt *BOCCONE dans les Recherches & Observations naturelles*, & *GRIMMIVS in Ephemer. Acad. Nat. Cur. Dec. II. Ann. I. Observat. 153.* hæc autem, nempe artificialis, ex similis arboris radicibus, trunco, atque ramis dissectis, certa enchiresi, ope artis chymicæ extrahitur, sublimatur ac tandem depuratur, sicque in glebas & panes compacta in pharmaciis adseruatur, atque communiter sub nomine *Camphoræ Japonensis*, vel *Chinensis* nota est, quoniam ab incolis Japoniæ, juxta illum modum, quem *CLEYERUS in Ephemer. Natur. Cur. Dec. II. Ann. X. Obs. 37.* fusius descripsit, in notabili copia paratur, & dein ad *Chinenses*, ab his vero demum nostras ad oras defertur, novaque sublimatione ab adhærentibus quisquiliis repurgatur. Vix ergo unquam nativa illa, tam *Borneensis*, quam *Sumatryana*, nostros in usus cedit, licet non adeo volatilis sit, ac *Japonensis*, quoniam minori in copia priores istæ species prostant, adeoque ratione pretii hanc ultimam multum exsuperant, utpote quam, ob arborum camphoriferarum multitudinem, fere negligere & saltem exterorum in gratiam parare, proprios autem in usus *Borneensem* potius coëmere solent incolæ.

§. VII.

Facile interim tam ex odore & sapore, quam aliis *Camphoræ* qualitibus, patet, eandem ratione substantiæ suæ potissimum ex copiosis principiis *Æis* atque *Sinis subtilissimis summeque volatilibus*, cum paucioribus ac tenerioribus terreis intime mixtis, constare, adeoque non solum ad flammam promptissime concipiendam,

dam, (utpote quæ tanta ordinariè est, ut omnem aquæ & nivis vim eludat,) & totalem substantiæ deflagrationem, immo successivam in solo aëre externo consumptionem & evaporationem; sed & ad varios in corpore humano exerendos notabiliores effectus, admodum aptam dispositamque esse, siquidem horum intuitu imprimis *virtute calefaciendi, siccandi, attenuandi, incidendi, resolvendi, discutiendi, item diaphoretica, balsamica, bezoardica, paregorica & anodyna, roborante ac cordiali, antihysterica & antihelminthica*, nec non, quorundam ad mentem, *antaphrodisiaca*, pollere reputatur, ac idcirco varia sub forma variisque compositionibus in praxi medica commendatur & adhibetur, de quibus nunc specialius agendum nobis erit, ut simul pateat, an singulæ istæ enumeratæ vires eidem quoque revera competant, & quomodo salutare ejusdem effectus facillime ac securissime obtineri, noxæ vero præcaveri & evitari queant.

§. VIII.

Ante omnia autem notandum prius est, quod Camphora ubique, sive externe, sive interne commendatur, in tota sua substantia & mixtione, absque vlla prævia præparatione, aut correctione, in plerisque aliis simplicibus necessaria, adhiberi soleat, & quidem eam maxime ob rationem, quoniam in se spectata jam jam non solum purum satisque subtile, sed & intime mixtum quoddam chymicum præparatum constituit, adeoque nulla prorsus separatione aut melioratione nova indiget, (nisi forsitan naturalem ejus activitatem infringere viresque ordinarias magis debilitare

velis,) sed simpliciter tam in *secca*, quam *liquida forma*, si nimirum cum menstruis convenientibus dissolvitur, ubi opus fuerit, propinari potest. Intimam autem plerumque unionem subit, facilioremque solutionem admittit cum liquoribus ejusdem indolis & essentiae, æthereis nempe, volatilibus & spirituosis, ut & cum acidis mineralibus fixis, vel parum de principio inflammabili participantibus, vel aliquam ad minimum cum hoc affinitatem habentibus, vel plane etiam corrosivis. Pertinent huc omnia olea, inprimis destillata, itemque spiritus vini, tam simplex dephlegmatus, quam variis aliis particulis Æo-Θinis, aut refinosis inprægnatus, ut est Spir. Serpilli, Rorismar. Lavendulæ, Formicar. Lumbricor. Vestr. Aqua sclopeteria spirituosæ, &c. ut & Spiritus Nitri, ♂ Orlī, Aqua fortis & regia, quibus tamen omnibus non tam plenaria ac *intima resolutio*, sed saltem *dissolutio* quædam in *aggregato* obtinetur, qua mediante Camphora in minimas, subtilissimas, prorsusque invisibiles particulas discontinuatur, quarum tamen quælibet physicam ejusdem mixtionem retinet, pristinamque suam formam, sublato vinculo, facillime iterum induere valet, ut propterea vix unquam alium effectum a Camphora ita soluta in Therapia medica expectare liceat, quam qualis ab eadem in substantia provide usurpata alias promitti potest ac solet.

§. IX.

Exinde igitur elucescit, quod, etiamsi multa jam olim in pharmaciis adservata fuerint, & ex parte adhuc adserventur composita, interno inprimis usui destina-

ta,

ta, Camphoram partim baseos, partim adjuvantis loco recipientia, ut sunt *Essentia Camphoræ alexiteria, anricolica, nephritica & uterina, Elixir. Camphoræ, Tinctura antiplcuritica, Electuarium camphoratum Cratonis, antipestilentielle Kegleri, Aqua bezoardica Londinensis & Rulandi, Electuarium de ovo, Philonium Persicum, Laudanum camphoratum, Species diarrhodon Abbatis, &c.* vix tamen unquam major in hisce compositionibus a Camphora expectandus sit effectus, quam quidem a simplici ejus usu in substantia obtinetur, nisi forsitan juxta ineptam Indorum sententiam, a Celeb. GRIMMIO in *Ephem. Nat. Cur. loc. sup. cit.* allegatam, statuere velimus. Camphoram, aliis medicamentis sociatam, instar Centurionis, aut Præfecti militum sese habere, qui copias suas ad destinatum locum ducit, ut cum hoste ibi confingant: Si enim mixtum illud volatile etiam solitarie satis efficax & activum jam jam constituit remedium, ejusque particulæ constitutivæ aliorum simplicium additione saltem discontinuari, non vero penitus resolvi possunt, utique hæ ipsæ in simplicissima forma minorique dosi easdem certissime exserent vires, quas in diffusioribus istis formulis perperam exserere creduntur, utpote in quibus conjuncta ut plurimum alia calida ingredientia activitatem Camphoræ nimium quantum exaltant, adeoque occasionem præbeant, ut tali ratione plus damni, quam utilitatis adferat.

§. X.

Vt autem ad nostrum nunc propius deveniamus scopum, lubentes equidem concedimus, Camphoram tam interno, quam externo usu insignis omnino utilita-

ris & efficaciam esse, aut utrumque etiam horum, & inprimis priorem, perquam caute debitoque cum iudicio adornandum esse, si promissum salutarem obtinere velimus effectum, insimul monemus. Minime negandum utique est, quod insigni *bezoardica, diaphoretica, resolvente ac discutiente* virtute, præ multis aliis hujus census remediis, polleat, adeoque in *febris* quibusvis *acutis*, tam *exanthematicis*, quam *inflammatoriis*, admodum salutariter adhiberi queat, immo indies, teste experientia, solet, præprimis in angina, Cholera simpliciore, inflammatione ventriculi & intestinorum, Paraphrenitide, &c. ubi nimirum partes adfectas propius attingere, adeoque perniciosas ibi occurrentes stases facilius discutere valet; probe tamen semper cavendum est, ne vel nimis sero, imminente jam jam suppuratione aut gangræna; vel præmature, sub statu nimium plethorico & orgastico, ac nondum instituta necessaria sanguinis ventilatione artificiali; vel justo frequentius & majori in dosi; vel denique cum aliis calidioribus bezoardicis, aut diaphoreticis mixta, in usum trahatur, quoniam sic raro speratum attingere licebit scopum.

XI.

Proinde etiam in *pestilentialibus*, pariter ac aliis *malignis febribus*, eximie illam, & quidem non sine omni prorsus ratione, commendari, per experientiam eadem constat, eaque propter non solum a MINDERERO, *Tr. de Peste c. 15.* forte & efficax pestis alexiterium, ab AVICENNA autem Theriaca contra venena calida adpellatur, sed & insuper a Claud. DEODATO, *Pantb. Hygiast. Lib. III. cap. 27.* eidem, si temdestive in his

his morbis exhibeatur, plus virium, quam vel a pretiosis quibusvis bezoardicis remediis expectari posset, tribuitur, in quo etiam CRATONEM *Lib. de Peste & in Epist. Med. 103.* ROLFINCIVM *Ord. & meth. med. spec. Lib. XI. Sect. I. cap. 5.* aliosque consentientes habet, ut hinc quoque DOLAEVS in *Encyclop. med. theor. pract. Lib. IV. cap. 5.* remedium quodvis in febribus malignis sine Camphora esse instar militis sine gladio, audacter asserat. Certum tamen utique est, quod, nisi praedictæ, & inferius adhuc adducendæ probe simul observentur cautelæ, usus ejus vel plane noxius, vel ad minimum irritus futurus sit, quemadmodum etiam MARGGRAVIVS re vera testatur, quod in peste Leidensi, anno 1664 grassante, nullum plane commodum ab ea profectum viderit. Proinde etiam idem modo nominatus DOLAEVS *l. c. Lib. I. cap. 3.* ipsi specificam vim, delirantes ægros ad somnum disponendi, adscribit, & hinc in *maniacis ac melancholicis affectibus* opio præstare autumat, in quo etiam lubentius huic assentimur, quam KOENIGIO, qui in *Regn. Vegetab. quadrip. p. 14.* Camphoræ, opio junctæ, in deliriis & Mania specificam virtutem tribuit, utpote quæ tunc magis æquivoca minusque secunda procul dubio erit.

XII.

Eximie quoque commendatur Camphora in *Epilepsia & Apoplexia*, imprimis a BRUNNERO *Consil. med. 15.* HORNUNGIO, *Cist. med. p. 305.* aliisque, quoniam ob salino - æream volatilem substantiam facile in lympham viscidam, nervorum tubulos ac cerebri poros, sese diffundit, obstructions referat, stasesque resol-

resolvit. Sic & rejicienda haud est in variis *uteri* affectibus, speciatim fluore albo, mensiumque suppressione, ob rarefacientem, discutientem & nervinam suam virtutem, dummodo non nimium plethorica, aut prædominante cholericò temperamento prædita fuerint subjecta; in strictè autem dicta *hysterica passione* non indiscretim admittenda erit, cum infantem tunc plerumque esse uterum, insimulque Camphoram cum præparatis suis a compluribus ejusmodi foemellis, præcipue delicatioribus, non facile ferri, per experientiam jam constet, immo juxta VARANDÆVM de *morb. mul. Lib. II. cap. 1.* foecunditati obstare credatur, & facile ad abortum disponat, vid. BORELLI *Observ. med. Cent. II. Obs. 98.*

XIII.

Porro etiam in *Gonorrhœa*, tam *simplici*, quam *virulenta*, conjunctoque cum hac Priapismo & Satyriasi, perquam salutarem fuisse ejus usum, tam inquam externum, complures celeberrimorum Auctorum testantur observationes, ipsaque ratio confirmare videtur, quoniam laxiora seminis receptacula roborat, illorum inflammationem tollit, & balsamica sua virtute corruptionem ulcerosam optime corrigit. Quod autem *antivenerèum* quoque constituat medicamentum, seminis generationem ac secretionem impediatur, æstusque venerèos restinguatur, & quidem tam in potulentis ordinariis, quam etiam solo externo usu, frequentior nempe odore, gestatione de collo, vel prope genitalia, & in subligaculis, prout HILDESHEIM in *Spicileg. 2. de scerebr. & cap. morb. int. p. 149.* adseverare non erubescit, mini-

minime veritati ac quotidianæ respondet experientiæ, utpote qua ipsa certo jam constat, non solum Indiæ & Japoniæ incolas, quotidie fere Camphoræ depurationi operam locantes, teste BREYONIO, *Cent. I. exotic. plant. p. 17.* nihilominus satis fecundos esse numerosamque progenerare sobolem; sed & Europæos quosdam, notante AMMANNO in *Iren. p. 39.* eandem magis ad excitandos, quam compescendos stimulos venereos adhibere, id quod etiam BREYNIUS *l. c.* confirmat, dum aliquem se nosse refert, qui ab usu Camphoræ contra veneream, tantis hujus flammis torquebatur, ut abinde abstinere prorsus cogeretur. Hinc patet, falsum esse illum *Scholæ Salernitanæ* versiculum: *Camphora per naves castrat odore mares, nisi forsitan, odore castrare, in sensu æquivoco pro destituere, aut privare, sumendum tibi videatur, ubi cum veritate paulo magis convenire poterit, quoniam insignis est concreti hujus efficacia, uti in omnes nervos, ita & in specie in olfactorios, siquidem exempla quædam prostant, de olfactu à nimio Camphoræ odore prorsus deperdito, quale inprimis est illud BARTHOLINI, *Cent. IV. Hist. anat. p. 1.* dum nempe à volatilibus nimiumque activis ejusdem effluviis teneriores nervi plane obrunduntur hebetesque redduntur; è contrario autem debilitati & à lymphâ viscida obstructi egregie roborantur & reserantur, ut hinc quoque moderato usu Camphoræ cum Amygd. dulc. subactæ naribusque illitæ, olfactus in Coryza imminutus, vel penitus amissus, restitui queat.*

§. XIV.

Tandem præter has modo enumeratas, equidem
C
com.

complures adhuc Camphoræ, interne assumptæ, tribuuntur virtutes, videlicet *antihelminthica*, ob principia balsamica, oleosa & salina volatilia, tam putredini, quæ focus & nidus vermium alias dicitur, quam universæ horum substantiæ maxime inimica; *cephalica*, & inprimis *anodyna*, seu demulcens, in impetuosioribus ac pertinacioribus dolorificis, aut inflammatoriis capitis affectibus potissimum expectanda; *cordialis* & *analeptica*, ob principiorum subtilitatem, qua spiritus torpidos excitare & agiliores reddere creditur, eaque propter in lipothy-miis & palpitatione cordis frequentissime commendatur; nec non *diaphoretica* & *diuretica*, ob rarefacientem & satis efficaciter resolventem qualitatem; ast, quoniam hæ omnes generaliores sunt, aliisque simplicibus magis propriæ, hinc vix operæ pretium erit, ut specialius de iis agamus; sed potius methodum rationalem ac prudentem nunc demonstrandam esse censemus, sub qua specificæ istæ superius enumeratæ virtutes commodissime obtineri possunt.

§. XV.

Probe igitur ante omnia notandum est, quod ob summam illam principiorum, Camphoram constituentium, subtilitatem, tam *bezoardica* ejus, usque adeo decantata, efficacia, quam reliquæ modo recensitæ, per internum non nisi usum obtinendæ, quoad maximam partem à cauto & perito dependeant artifice, & vix unquam secure obtineri queant, nisi constanter cum eximio moderamine concretum istud nimium volatile exhibeatur. Licet enim Dn. D. TRALLES virtutem Camphoræ resvigerantem, atque internis corporis humani incendiis resstinguendis aptissimam, nuperrime peculiari exercitatione demonstrare, simulque juxta mechanica principia illud corroborare annis fuerit, quod ab Arabum inde temporibus innumeris experimentis practicis comprobatum est, Camphoram nempe, etiamsi certis respectibus pro calida merito habeatur, per ipsam tamen tenuiorem laxissimamque minimorum corpusculorum compagem, qua olea ætherea quævis longo post se intervallo relinquit, non solum in subjectis nulla adhuc febre laborantibus, majori etiam dosi, calorem nullum excitare, sed &

in

in ipsis acutis febribus haud facile praesentem jamjam æstum præternaturaliter augere, quin potius, sublata feliciter stasi, incendii causa, justæ corporis temperiei restituendæ egregie sæpe opitulari: Vix tamen unquam, si quoque in omnibus his cum doctissimo illo Viro sentiremus, propterea indiscretim, ubique & citra debitarum indicationum & cautelarum observationem, suadendam ac ordinandam esse Camphoram, aut qualecunque camphoratum remedium, autumamus, sed potius illas præsertim circumstantias, quas idcirco etiam *indicationum* loco posuit Doctiss. WERLHOFIVS, *Commerc. litterar. Noriberg. Ann. 1734. p. 259.* probe attendendas commendamus, *debilitatem nempe agrorum continue febricitantium ingentem, symptomata anxietatis & delirii urgentia, inflammationem minacem, sed resolutioni per remedium volatile haud nimis repugnantem, antequam suppuratio vel sphacellus ingruat; ut & continuandi normam, inopiam nempe & honorum signorum, noxæ vero nullius, observatam consecutionem, qua in omni remedii usu maxime attendi meretur.*

§. XVI.

His ita præsuppositis, & simul habita ratione subjectorum, quoad temperamentum minus cholericum, ætatem paulo magis consistentem, statum non adeo plethoricum, & tempestive institutam V. Snem, utique providum Camphoræ usum in omnibus §. XI. XII. & XIII. recensitis affectibus & securum, & salutarem fore judicamus, dummodo in *substantia*, cum *pulveribus* nempe *temperantibus nitrosi*, aut *similibus Emulsionibus*, & in *dosi parviori*, duorum nempe vel trium granorum, intra trihorium circiter, aut etiam serius repetita, ut prius præbium penitus iterum distillatum sit, propinetur: Hunc enim modum, cum supra nominato WERLHOFIO, præbitione in Essentiis & Spiritibus vere excalescentibus, itemque in Tincturis bezoardicis & in Oleo illo bezoardico Wedelii, longe tutiorem merito putamus, præsertim cum experientia ipsa eundem in compluribus casibus, à laudatissimo isto Viro *l. c. & p. 268. sqq.* communicatis, egregie confirmaverit.

§. XVII.

Non minus tamen salutarem & securum sæpius quoque deprehendimus Camphoræ usum in notissima illa *Mixtura simplici*, quoniam conjunctum in hoc medicamento acidum Vitrioli nimium volatilem & activam ejus indolem quadantenus infringit, adeoque ad mitiorem operationem eandem disponit, ut dein absque ullo metu in omnibus febribus malignis & acutis, si modo nec tussis, nec diarrhœa adfuerit, adhiberi queat, siquidem non solum blandam promovet & conservat diapnoën, verum etiam impedit, ne crassis sanguinis sub auctiori orgastico motu nimium resolvatur. Sunt equidem, qui illam reformidant, ob spiritum theriacalem conjunctum, orgastica pariter, ac suspecta anodyna virtute pollentem; potest autem & iste evitari metus, si ejus in locum Essentia alexipharmaca Stahlii substituat. Ob Camphoram autem nullo modo improbandum aut evitandum erit hoc medicamentum, quoniam juxta præscriptionem *Pharmacopœiæ Augustanæ* integra ejus uncia saltem tria Camphoræ grana, & juxta *Brandenburgicum Dispensatorium*, non nisi alterum tantum, nempe sex grana, complectitur, adeoque drachma una non dum integrum continet granum, quæ sane dosis nemini juxta cum ratione suspecta esse poterit. Quod vero *Tincturam bezoardicam Michaelis* attinet, hanc, licet quasi Mixturam simplicem compositam constituat, præsertim juxta præscriptionem, quæ in modo allegato *Dispensat. Brandenb.* extat, minus tamen securam reputamus, dum nimium quantum à simplicitate recedit & excessive opiata est, siquidem quælibet ejus uncia plus quam integrum Opii scrupulum continet, ut ita drachma una duo grana & dimidium complectatur; hinc merito vel Opium omittendum, vel à Tincturæ hujus usu cavendum omnino erit.

§. XVIII.

Ne autem Camphora sperata utilitatis loco graviora inferat damna, probe insuper observandum est, ut talibus non nisi præscribatur subjectis, quæ & odorem ejus penetrantior, & ipsum internum usum, commode ferunt, inque

his saltem affectibus commendetur, ubi nulla alia simul occurrat contra indicatio: Hinc caute & raro admodum iis ordinanda est, qui valde nauseant, quibus caput infirmum est, admodum sensibiles & laxioris ac tenerioris compagis sunt. Vid. CRATO *Epist. med.* 130. THONERVS *Observ. med. Lib. III. p. 135.* & WEDELIVS *Amen. mat. med. Lib. I. Sect. III. cap. 1. p. 125.* Minime etiam promiscue in defectu mensium struenda est, quoniam rarefactiva sua virtute potissimum pellendo agit, adeoque, nisi viæ debitæ jam jam liberæ fuerint, malum potius auget, quam tollit. Multo minus gravidis, ob hanc modo allegatam rationem, convenit, ne abortum, quem olim mulier quædam, pyxidi Camphoræ frequentius insidens, referente BORELLO *Cent. II. Observ. 98.* passa est, temere provocemus. Quod in hysteriis affectibus indiscretim non conveniat, superius jam §. XII. monuimus, causamque adduximus. Quod in impetuosioribus congestionibus, maxime incompletis & rhevmaticis, itemque in quibusvis hæmorrhagijs excedentibus, tutius omittatur, ratio suadet & experientia comprobatur, ob vim ejus commoventem & exagitantem.

§. XIX.

Superest nunc *externus* adhuc Camphoræ *usus*, qui admodum quidem amplus & egregius, sed suis etiam limitibus circumscriptus est. Utilem ergo eundemprehendimus in omnis fere generis inflammationibus discutiendis, in ambustionibus & variis doloribus mitigandis nimioque humorum ad partes incongruas affluxu avertendo; unde non sine fructu sæpius in Cephalalgia, clavo hysterico, otalgia, ophthalmia, delirijs phreneticis & maniacis, dentium dolore catarrhali, ipsaque carie, rhevmaticis, arthriticis & podagricis doloribus, Erysipelate, Phlegmone & Gangræna, scabie itidem ferina, lentiginibus, varis, gutta rosacea, aliisque cutis ac præsertim faciei maculis, & quidem pro circumstantiarum diversa ratione, tam in sacculis siccis ac humidis, cataplasmatibus, epichematibus, linimentis, unguentis, emplastris, emulsionibus; quam in solutione cum Spiritu vini rectificatissimo, eoque vel simplici, vel pro re nata cum Esf. Croci,

Cum.

Gummi \star cco, aut Myrrha, exaltato, immo & pluribus aliis in formis, quarum legitimum adhibendi modum lubentissime adhuc traderem, nisi exactissime jam à celeberrimis Practicis undique id factum esset, pluraque superaddere chartæ angustia prohiberet.

§. XX.

De reliquo hoc ad minimum coronidis loco adjiciendum erit, quod nequaquam etiam externo hoc usu indiscretim suadenda sit Camphora, cum & in his affectibus, incaute adhibita, plus saepe obstat, quam prodest. Deprehendimus hoc, si inconsiderate, aut copiosius organis sensuum externis, naribus nempe, oculis & auribus applicatur, utpote quæ delicatioris texturæ sunt, facileque hinc alterari, ac munere suo privari, aut gravioribus symptomatibus obrui possunt, unde tunc cum aliis appropriatis remediis potius remiscenda & temperanda, minimeque iisdem immediate, sed potius in ambitu saltem applicanda erit, quod & de inflammatis vulnerum labiis, aliisque sensibilibus partibus valet. Sic & in tumoribus stasibusque sanguineis, superficialibus ac profundis, ad inflammationem vergentibus, vel eadem jam committatis, tam in sicca, quam soluta forma solitarie haud convenit, sed vel cum farina secalina, fabarum, Flor. Chamom. Samb. rad. Liquirit. &c. distemperanda, vel mediantibus lintheis levissime humectatis imponenda erit, alias subtiliores saltem particulas sanguinis discutit, relictisque crassioribus lymphaticis, duriores ac pertinaciores tumores format. In reliquis inflammationibus, ad laudabilem suppurationem jam inclinantibus, omittenda potius est, ne hanc impediatur, quod & de renum inflammatione dictum sit, quam stimulante sua diuretica virtute facile exasperat. Tandem nec in Achoribus & Tinea, nec in ambustionibus jam jam erosis & exulceratis, immediata ejus applicatio conducit, quoniam dolores & inflammationem gravissime auget, eoque ipso nunquam salutaris obtineri ac promoveri potest.

F I N I S.
S. D. G.

Nr. 19 als Titel nicht zu
identifizieren!

01 A 6537




f

TA-70L

hier Stück 12 bisher verknüpft

1017





DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA,
DE
SALVTARI ET NOXIO
CAMPHORAE
ET
CAMPHORATORVM VSV,

QVAM
AVXILIANTE NUMINE DIVINO,
PRÆSIDE
RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICO,
PRENOBILI, CONSVLTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO VIRO,
DN. D. HERMAN. PAVLO JVCH,
SACRI PALATHI CAESAREI COMITE, FACVLTATIS MEDICAE SENIORE, PA-
THOL. ATQVE PRAX. PROF. PVBL. ET ASSESSORE PRIMARIO, H. T. DECANO,
SERENISS. SAX. DVC. VINARIENSIS, ISENACENSIS ET GOTHANI CONSIL.
AVLICO ET ARCHIATRO, N. N. ACAD. CAESAR.

NAT. CVRIOS. COLLEGA,
PATRONO AC PROMOTORE SVO COLENDISSIMO,
INCLYTO MEDICORVM ORDINE IN PER-ANTIQA
HAC HIERANA GRATIOSE INDVLGENTE,
PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN ARTE SALVTARI PRIVILEGIIS
ATQVE IMMVNITATIBVS
RITE ET SOLEMNITER ADIPISCENDIS,
PVBLICÆ ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTET
AVCTOR ET RESPONDENS,
JO. PETR. LVDOV. MENSHEGEN,

Mogonur.

IN AVDITORIO MAJORI COLLEGH MAJORIS, HORIS CONSVETIS,
DIE XVII. DECEMBRIS MDCCLXXXVII.

ERFORDIÆ, Typis HERINGII, Acad. Typogr.